

L I I X. De legibus paucis hic notandum, primò requiri, <sup>cùm requi-
sita</sup> uti ab omnibus intelligantur, quò pateat, quid fieri jubeant vel vetent.

L I X. Secundò Leges ad Reipublicæ rationem accom-
modentur: quòd sæpè pro varia Reipublicæ forma illos va-
riare necesse: quòd Respublica est ante leges, quæ ad conser-
vationem, non verò constitutionem ejus spectant.

L X. Tertiò quia non semper cùm perfectis vivitur homi-
nibus, leges non simpliciter optima ferenda sunt, sed quæ
optima sunt illi Politicæ quam informare debent: cùm popu-
lus imperfectus legem perfectissimam servare nequeat.

L X I. Quartò lex sæpè justa pro temporum statu justè mu-
tatur: cùm leges humane non sint de fine, sed de ordinatis
ad finem: cùm salus populi, sive quod è re populi publica futu-
rum sit, suprema legis rationem habeat.

L X I I. Non tamen facilè mutandæ sunt, etiam cum com- <sup>Q. An faci-
lè mutandæ?</sup> moditas aliqua invitatur: cùm Reipublica id noceat, si cives
assuescant facilè leges antiquare. Hinc apud Thurios legis
abrogationem suasurus laqueum gutturi indebat, quò, si ejus
rogatio populo displiceret, suffocaretur.

L X I I I. Atq; hæc sunt bona publica potissima, quorum
in primis ratio habenda. Huc pertinent, quæ in jure Roma-
no habentur, de crimine læsæ majestatis, Sacrilegij, pecula-
tus, repetundarum &c.

L X I V. Bona publica ita fuerunt: jam sequuntur privata. <sup>vel privata,
ubi quid ju-
ris compe-
tar.</sup> De hisce notandum, quòd civibus non sunt auferenda.

L X V. Et quò subditorum bonis magis consulatur, opera
danda, ut omnis vis: fraus & dolus in contractibus absit.

L X V I. Hinc de jure Romano ultra dimidium sese invi-
cem circumvenire haut permissum: hinc furtiva (licet apud
Spartanos permissa) rectè prohibentur: hinc raptus, bonorum
invasio severè coërcetur.